



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiae Activae**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Caput II. De initiis verae Conversionis, ut primo officio, per quod peccator
ex statu corruptionis transit in statum gratiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

CAPVT SECVNDVM.

*De initiis veræ conversionis, in
primo officio, per quod peccator
ex statu corruptionis transit in
statum gratiæ.*

SUMMARIUM.

- I. CONVERSIONIS opus §. 1---41. ita describitur, ut
- A. Pramittatur aliquod premonitum, quomodo sub officii specie obversetur 1. 2.
 - B. Res ipsa pertractetur 3---41.
 - 1. Nomina explicantur 3. 4.
 - 2. Sequitur descriptio 5---41. quæ
 - a. Proponitur 5.
 - b. Deducitur 6---41.
 - a. Generalia Conversionis attributa 6---12. Est mutatio
 - N. Efficax 6.
 - ∩. Moralis 7.
 - ∫. Universalis 8---10.
 - ∩. Rationalis 11.
 - ∩. Momentanea 12.
 - β. Partes Conversionis 13---41.
 - N. Essentiam ejus constituentes 13. ---36.
 - a. Ordo eorum indicatur 13. 14.
 - b. Par-

b. Partes ipse percensentur 15 --- 26.

a. Quoad intellectum COGNITIO
15 --- 19.

b. Quoad voluntatem RESIPI-
SCENTIA 20 --- 36. in qua
continetur

† AGNITIO seu ASSEN-
SUS in cognitam verita-
tem 20.

††. MUTATIO PROPEN-
SIONIS 21 --- 36. in-
voluens

* Quoad statum prateritum
21 --- 30.

„ Pœnitentiam seu Tri-
stitiam de peccato 21.
--- 29. cuius indicatur.

| Indoles 24 --- 26.

|| Adjuncta 27 --- 29.

— Pudor 27.

≡ Detestatio sui ipsi-
us 28.

≡ Angor 29.

„ Lætitiæ initia 30.

** Quoad statum futurum
propositum mutatio-
nis 31 --- 36.

„ Capiendum 31, 32.

„ Initialiter in actum de-
ducendum 33 --- 36.

| Confessione coram
Deo 33 --- 35.

|| Confugio ad De-
um 36.

γ. Ad

2. Ad criteria seu fructus ejus pervenientes 37--41. qui sunt

a. Communes 38.

b. Peculiares 39--41.

II. Necessitas ejus demonstratur 42--44.

I.

Primum officium, quod Scriptura ad salutem inculcat, quodque ipsum quasi transitum ex Regno tenebrarum in Regnum Filii Dei conficit, dicitur CONVERSIO, seu mavis REVERSIO. Illa cum alias spectetur ut *opus Dei*, quando dicitur *Illuminatio*, *Regeneratio*, *Renovatio*, *Sanctificatio* &c. hic consideratur ut *opus peccatoris*, quod ei Lege Evangelii injunctum est Jes. LV. 7. Ezech. XVIII. 31. Joel. II. 12. 13. Matth. IV. 17. Act. II. 38. &c.

II. Præscriptio hujus officii non adversatur doctrinæ de totali *impotentia* peccatoris, quoniam sub ejus inculcatione Spiritus sanctus electis vires ad præstationem solet largiri. Et utile est, Conversionem urgeri atque exigi a peccatore, tum ut adigatur ad gratiam Conversionis a Deo petendam, tum ut initia ipsa veræ Conversionis eo citius animadvertantur, tum ut, qui convertitur, statim a Conversionis initio in quærendo Deo rite progrediatur.

III. Ad actum *Conversionis* exprimendum Hebræi utuntur verbo שׁוּב, quod non solum denotat *conversionem* in aliam viam, sed etiam *reditum* in viam antea *relictam*. Colludit Græcorum *ἄπιστεφειν*, unde nomen *ἄπιστοφῆ*. Hujus syno-

synonyma sunt μεταμέλεια & μετάνοια in N. T. quæ in sensu strictiori *pœnitentiam* designant. Prior vox aliquando conversionem *spuriam*, posterior semper *seriam* indicat.

IV. Cæterum aut latiore aut strictiore sensum terminus *Conversionis* admittit. In latiori non solum *Regenerationi* sed etiam *Sanctificationi* universæ respondet, quoniam tota actuositas animæ in statu Gratiae continua est ad Deum *Reversio*. In strictiori aut *initialem Rediitum* peccatoris ad Deum, aut *repetitum* sæpius per novam *resipiscentiam* designat. De initiali hic agitur.

V. CONVERSIO adeoque nobis est prima actuositas animæ, per quam, dum a Spiritu sancto regeneratur, in ipso illo *Regenerationis* sue momento, verbo Evangelii obsequens serio contendit merito ac virtute Christi apprehensa universam vitam suam rationem in melius mutare, ut exitum æternum effugiat, & in beata cum Deo communiōe ad ejus Gloriam sit.

VI. Quando ergo indoles *Conversionis* in genere perpenditur, tum consistit in actuositate efficaci diversos actus involvente, ad quam exferendam anima in Statu corruptionis plane impotens & inepta fuit, sed per supernaturalem Spiritus sancti efficaciam in *Regeneratione* novas vires accipit, quas etiam illico impendit.

VII. Id, circa quod anima, dum vitam novam accipit, actiosa redditur, est *mutatio status sui*, non *physica*, sed *moralis*, quoniam iisdem facultatibus naturalibus manentibus, actionibus tantum *nova forma*, secundum novam normam Legis Jehovæ, inducitur, dum ad finem alium
diti-

diriguntur, ad quem consequendum opposita plane *via* est inflectenda, *a tenebris ad lucem*, & *potestate Diaboli ad Deum* Act. xxvi. 18.

VIII. Mutatio hæc *serio* suscipitur per intimam ac perfectam *voluntatis* determinationem. Quare totum Gratia initium *ἀπλῶς velle* dicitur Phil. 11. 13. Atque id apparet ex *universalitate mutationis*, quæ in vera conversione tam quoad *objectum*, quam quoad *subjectum* requiritur.

IX. Quoad *objectum* mutatio hæc est *universalis*. Nam

(1) Finis, qui *omittitur*, & qui *præfigitur*, e diametro sibi sunt oppositi, *vita & mors* Deut. xxx. 19. *cælum & infernus*, *Deus & Diabolus*, Domini sibi adeo contrarii, ut qui unum amat, necessario alterum odio habere debeat Matth. vi. 24.

(2) Fines eousque pugnantes totalem viæ mutationem inferunt, quarum, quæ relinquitur, *lata*, quæ inflectitur, *angusta*; illa *curva*, hæc *recta*; illa *deorsum*, hæc *sursum* tendit Matth. vii. 12. 1. Sam. xii. 23. Prov. xv. 24.

X. Hinc & in *subjecto*, quod convertitur, *universalis* innovatio nascitur. Idque eo magis, quoniam facultatum hominis tam arctus est nexus, ut unius innovatio nequeat esse efficax, nisi reliquæ simul formam novam induant. Quare *subjectum*, quod convertitur, *homo* dicitur, & quidem *homo novus* Eph. iv. 24. *occultus homo cordis* 1. Petr. i. 4. Potissimam quidem sedem in mente habet, unde *innovatio mentis* dicitur Rom. xii. 2. Nihilominus effectus hujus *innovationis* in corpus quoque transeunt, & in actio-

actionibus externis conspicui sunt, unde *purificatio manuum & cordis* conjungitur Jac. iv. 8.

XI. Tanta immutatio non temere, sed *penſitatis* probe *viribus* ſuſcipi, deque illis mature proſpici debet. Nam fundamentum hujus propoſiti eſt teſtimonium Evangelii, quod Filius Dei non ſolum claves tam inferni, quam Regni cœlorum ſanguinem ſuum promeruerit, ſed etiam conantibus *vires* promiſerit, quibus indigent, quod adeoque & *juſtitia & Robur in ipſo ſit* Jeſ. XLV. 24.

XII. Ante ſpecialiorem actuum, qui ad veram Conversionem concurrere debent, enumerationem ſupponimus, quod reapse ſit *unius momenti* ſalutaris opus. Quamvis enim ex præcedente capite & Lib. I. Cap. III. §. 32. conſtet, *preparationes* aliquando diuturnas præcedere poſſe, ipſa tamen *Converſio tota ſimul* incipit. Nam ſi quid deeſſet tam ex objecti quam ſubjecti univerſalitate, quod voluntas non intenderet, per hoc ipſum conſtaret, Conversionem illam nonniſi *ſpuriam* eſſe.

XIII. Ut autem eo clarius conſtet, quid in ſeria Conversione conjunctum eſſe debeat, illos actus, qui intimis nexibus ſibi invicem implicati ſunt, certo *ordine* recensere juvabit. Ordo hic dupliciter ſpectari poteſt. Primo convenienter *ordini*, quem Deus per *naturam* ipſam inter *operationes mentis* poſuit, quemque in ſtatu Gratix non deſtruit, ſed perficit. Quare cenſendum eſt, quod lumen *intellectus* hic quoque ſequatur *judicium*, & ſecundum hoc *voluntas* ſe *determinet*; quæ determinatio *interne* per confor-

formes *affectus*, externe per *motus corporis* analogos se prodit. Ad singulas harum operationum qualitates sigillatim adumbrandas diversæ *sancionum miraculosarum* species, præcipue a Servatore nostro in diebus carnis suæ præstitæ, directæ fuere. Et sic intellectus *cognitio* præcedit, atque ex illa voluntatis omniumque ejus actionum *purificatio* sequitur.

XIV. Sed & convenienter *ordini Conversionis* talis, qualem *natura corrupta* peccatoris postulat, res hic concipienda est. Ad illam enim in melius mutandam duæ partes generales requiruntur, *aversio a malo & adversio ad bonum* Jes. 1. 16. 17. Ps. xxxiv. 15. Tit. 11. 12. Variis similibus ac phrasibus Scriptura has partes illustrat, præcipue *crucifixionis, mortificationis & exultionis veteris hominis*, nec non *vivificationis & inductionis novi hominis* Rom. vi. 6. Col. 111. 9. 10. quæ eo majorem emphasin habent, quia partim ad creationem typicam *primi Adami*, partim ad *mortem & resurrectionem Christi*, quæ Conversionis electorum *caussa* non solum *meritoria*, sed etiam *exemplaris* fuit, alludunt. Atque sic singulæ mentis operationes in Conversione duplicem faciem secundum duplicem *terminum* spiritualis hujus, *a quo disceditur, & ad quem appropinquatur*, induunt.

XV. Cum primum Regenerationis initium a parte Spiritus sancti sit *Illuminatio*, primum initium Conversionis a parte peccatoris est *COGNITIO*, quæ hic designat illam *intellectus a Spiritu sancto per verbum Evangelii instituti dispositionem*, qua *veritates ad salutem scitu necessarias tam clare*

ac distincte percipit, ut in deliberatione de mutatione status sui dubius pendere nequeat.

XVI. Non ergo ulterius extendendum aut limitandum est objectum hujus *Cognitionis*, quam quantum sufficit ad iudicium in assensum veritatis efficaciter pertrahendum; quo duo proprie tantum spectant, & necessario requiruntur, ut nempe tam id, quod *relinquendum* est, quam id, quod *sectandum* est, sub propria sua forma percipiatur.

XVII. Ab uno latere igitur *Cognitio status peccati* requiritur. Sic primus lucis ortus detegebat confusionem, in qua mundus jacebat. Hæc involvit

(1) Ut tota ejus status infelicitas sub oculis versetur tam quoad *sceleritatem*, quam quoad *misericordiam*; ad quod prærequiritur *Cognitio Legis divinae* ejusque tum *præceptorum* tum *sanctionis*; nec non cognitio ipsius *sanctitatis Dei*, in qua Lex fundata est.

(2) Ut altius mentem subeat id, quod maximam infelicitatis partem in statu naturæ conficit, quod est

(a) In thesi *macula peccati*.

(b) In hypothesi illorum peccatorum sceleritas per *circumstantias suas* adaucta, quorum conscientia unumquemque peccatorem sigillatim reum constituit.

XVIII. Ab altero latere accedere debet *Cognitio Dei Patris in Christo* cum mundo conciliati, modique, quo cum peccatore communionem habere vult, in qua *vitam aeternam* Servator ponit Joh. xv 1. 3.

XIX. De hac *Cognitione initiali* observandum :

(a) Quod pars posterior cum præcedenti semper conjuncta esse debeat, tanquam *alter anima oculus*, & sine qua *Cognitio peccati* ad desperationem duceret. Sæpe tamen posterior *Cognitionis* hujus pars multis tenebris præ priori est septa, unde terrores multi oriuntur.

(b) Quod ex *modulo* hujus *Cognitionis* non possit judicari, an sit *salutaris*, necne? Nam insignis ejus mensura sæpe in irrogenitis occurrit; Cor. XIII. 2. Et apud ipsos, qui regenerantur, diversi gradus observari possunt.

(c) Quod *Cognitio* hæc a mera *Cognitione naturali origine, claritate, certitudine, effectu* non parum differat.

(d) Quod nihilominus *Criteria* hujus *Cognitionis* passim non illico detegantur; id quod nec opus est, cum immediate connexa sit cum reliquis *Conversionis* partibus, quæ clarius digitum Dei ostendunt.

XX. Quando intellectus lumine novo, quod accepit, *voluntatem* salutari modo illustrat, inde ejus *emendatio* nascitur, quæ dici solet RESIPISCENTIA, seu magis improprie καθαρismus, טהרה / PURIFICATIO. Vox hæc a *mundationibus Legalibus* est petita, sordes ita eluentibus, nitoremque corpori reddentibus; ut simul typica ac fœderalis mundities inde oriretur, per quam initiatio ad cultum Dei fiebat. Nec tantum actus *Dei* purificantis, sed etiam *hominis*, qui seipsum purificabat, hoc vocabulo designabatur.

XXI. Incipit autem *Purificatio* spiritualis a judicio

dicio per AGNITIONEM illius veritatis, seu ASSENSUM in illam, quam intellectus percepit. Unde æque late patet.

(1) *Agnoscur peccatum*, quando electus peccator, omnibus exceptionibus rescissis, se ipsum miserrimum ac damnabilem *judicat* & omni modo præcavere studet, ne peccata sua extenuet, aut ulla in re sibi blandiatur.

(2) *Agnoscur Gratia Dei in Christo*. quando non solum testimonium de illa ut *certum* propter decentiam Dei in eo relucens, sed etiam ut omni *acceptatione dignum* *judicatur* 1. Tim. 1. 15. Unde fluit, ut illorum, qui antea, secundum carnis sensum, contentim habiti, status beatissimus eapropter esse censeatur, quoniam hujus Gratia compotes sunt redditi.

XXII. Ex judicio ita defæcato sequitur totius PROPENSIONIS IN VOLUNTATE INNOVATIO, quæ actu ipso se *avertit a malo & versus bonum inclinat*, idque efficacissimo interne nisu, qui per *externa* signa illico innotescit. Prior pars hujus nisu dicitur *odium peccati* Prov. viii. 13. Pf. xcvi. 10. posterior *amor boni* Amos. v. 15. & *Legis Dei* Pf. cxix. 97. 159. 165. &c. de qua re latius cap. 5. agendum.

XXIII. *Interna* mentis innovatio relationem habet vel ad *statum præteritum* vel ad *presentem & futurum*. Quoad *statum præteritum* ex agnitione peccati oritur *pœnitentia* & ex agnitione gratia Dei spes salutis cum *initiali lætitia* conjuncta. Quoad *statum futurum* adest in eodem momento *sincerum propositum* peccatum fugiendi & justitiam sectandi.

XXIV. POENITENTIA in sensu strictissimo idem est, quod alias TRISTITIA DE PECCATO dicitur. Variis metaphoris illa describitur. Est enim *laceratio cordis* Joel II. 12. 13. & *compunctio* Act. 11. 37. Effectus ejus dicitur *contritum* Ps. LI. 19. Jes. LXVI. 2.

XXV. Consistit illa in *affectu intimi doloris per Spiritum sanctum excitati, quo anima exulceratur, quando animadvertit diros effectus peccatorum a se commissorum, quoniam per illa Deum gravissime offendit, atque in summam miseriam se precipitem dedit.*

XXVI. Cum autem Scriptura distinguat inter *tristitiam secundum mundum & secundum Deum*, 2. Cor. VII. 9. formale illud, quod differentiam utriusque conficit, bene est notandum. Id

(1) In eo situm est, quod ex odio ipsius peccati nascatur.

(2) Porro sincera tristitia non poenam duntaxat, sed totum malum ex peccato fluens, & sigillatim offensionem Dei ac separationem ab eo pro objecto habeto. Hinc dolor sincerus circa *peccata ipsa versatur* Ezech. V. 1. 16. Thren. III. 39. V. 16. Jes. LIX. 12. & est propter *amissum Deum* Zach. XII. 10. Hinc David etiam post remissionem culpæ dolere pergebat Ps. LI.

(3) Verus dolor etiam *non cessabit*, donec peccator spem bene fundatam de sua cum Deo reconciliatione habere potest.

(4) Conjunctus denique est indivulso nexu cum reliquis sinceræ Conversionis partibus, ac sigillatim cum jugi peccatorum oppugnatione.

XXVII. Adjuncta hujus tristitiæ sunt varia.

Præ-

Præcipuum est PUDOR, affectus, qui oritur ex specialiori consideratione illius turpitudinis, que animam per peccatum inquinavit. Turpitude hæc spectari potest tum relate ad Deum Jerem. III. 25. Dan. x. 7. 8. coram quo oculos peccator non audeat attollere Esr. IX. 6 Luc. XVI. 13. tum interdum etiam relate ad homines, quando illi testes vitæ turpiter actæ fuerunt.

XXVIII. Hinc porro fluit DETESTATIO SUI IPSIUS, affectus inde oriens, quod conscientia testetur, hominem culpam suæ calamitatis non posse in alium rejicere, sed suæ malitiæ & stultitiæ eam unice esse tribuendam. Experimentum evidens hujus veritatis inde capit, quoniam etiamnum pravos motus in corde suo residuos sentit. Fastidio erunt sibi ipsis Ez. V. 6. Propterea detestor me Job. XLII. 6. Hinc percussio pectoris Luc. XV. 11. 3.

XXIX. Accedit aliquando maximus ANGOR, præsertim apud illos, qui aut confusos de Statu Gratiæ conceptus fovent, aut diutius pœnitentiam distulere, aut propter occultas rationes cum incredulitate luctari debent. Cum gradus hujus anxietatis varii sint, caveri debet, ne inter criteria veræ pœnitentiæ certus ejus modulus referatur.

XXX. Medium sane, per quod illa sedari potest, & sæpe in primis initiis supprimitur, est initium illud ac prima quasi scintilla LÆTITIÆ IN DEO, quæ recte ad initia conversionis refertur, quoniam ubi vel minima spes eluctandi ex illa miseria apparet, illic etiam tristitia peccati alias in desperationem desitura mitigatur, metus omnis pœnæ expellitur, & anima

interne gaudere incipit, quod in tempore gratia adhuc vivat, quod tanta salus ipsi in Evangelio annuncietur, quodque ea propter in possibilitate liberationis ex omni miseria, qua premitur, verferetur.

XXXI. Concurrentes hi affectus PROPOSITUM actu ipso *se convertendi* producunt. Hoc Propositum immutationem animi consummat, quia involvit, ut peccator *non amplius velit malum*, quod antea voluerat, & *velit bonum*, quod hactenus noluerat Rom. vii. 15. 16. Nam in illo ab una parte renunciatur peccato, *cogitationesque ac via propria* actu ipso *relinquuntur*, ab altera parte servitium Dei eligitur ac *reversio fit ad Jehovaham Deum nostrum* Jes. lv. 7. Unde hoc Propositum est ipsa *erectio Fœderis Gratia* cum Deo, per quam anima ruptis peccati viaculis & abjecto ejus jugo, *Dominum eligit, ejus jugum suscipit, ejus esse incipit* Jos. xxiv. 15. Matth. xi. 29. Jes. xliv. 5.

XXXII. Concurrere ergo in hoc *proposito* debet
(1) Humilis propriae impotentiae sensus, in quo *paupertas secundum Spiritum* Matth. v. 3. consistit.

(2) Conscientia *desiderii sinceri* vivendi secundum Legem Evangelii fundum cordis occupantis, ita ut *jurato* quoque id testatum dare coram Domino audeat Ps. cxix. 106.

(3) Spes & *arreptio auxilii divini*, quod conantibus in Christo est promissum Jes. xlv. 24.

(4) Extensio *propositi* ad omnia, quae *totalis conversio* reapse involvit. Adeoque

(a) Propositum *relinquendi totam viam malam*
per

per omnium pravatum concupiscentiarum, ac
 præcipue illarum, quæ dominium potissimum
 exercuerunt, abjurationem Ezech. xviii. 21.
 Pl. cxix. 28.

(b) Propositum *viam bonam totaliter inflectendi*,
 & secundum omnia præcepta Dei, non exceptis
 illis, quæ difficiliora carni videntur, vivendi
 Exod. xix. 8.

(5) Ipsum *operationis* secundum hoc Proposi-
 tum *initium*, immediate cum Proposito conjun-
 ctum, per quod demonstratur, Propositum id
 sincerum & efficax esse.

XXXIII. INITIUM hoc actuositatis potissi-
 mum animadvertitur in *Precibus*, quæ sunt id
 quoad vitam spiritualem, quod est *respiratio* in
 vita corporali. Hinc signum conversionis Pauli
 erat, quod *oraret* Act. ix. 11. Constant au-
 tem preces hæ præcipue *Confessione & Confugio* ad
 Deum.

XXXIV. CONFESSIO PECCATORUM in-
 volvit *ingenuam commissorum criminum*, quatenus
conscientia illa suppediat, coram Deo agnitionem &
commemorationem. Quæ ut a *spuria Confessione*,
 qualis erat Pharaonis Exod. ix. 27. & Judæ
 Matth. xxvii. 3; distinguatur:

(1) Abesse omnis peccati *extenuatio* aut *excus-
 satio*, totaque ejus atrocitas quasi in conspectum
 produci debet 1. Tim. i. 15.

(2) Non debet in generali Confessione sub-
 sisti, sed ad *singulorum* peccatorum quousque in-
 notescunt, excussionem pergi, ipsis circum-
 stantiis aggravantibus non omissis Dan. ix.
 5. 6.

(3) Conjuncta esse debet cum interno peccati odio & proposito illud emendandi Prov. xxviii. 13.

(4) *Scopus* debet esse, qualis est aegroti vulnera & ulcera sua Medico ostendentis, ut sanetur, non solum per remissionem culpæ, sed etiam *sanitatis* restitutionem Dan. ix. 9. Efr. x. 2.

XXXV. Maximum hujus *Confessionis* momentum est in sincera conversione.

(1) Quoad Deum nihil est *aquius*.

(a) Illius honor per peccatum læsus per hanc Confessionem restituitur Ps. li. 6.

(b) Illi tanquam supremo Judici factorum rationem debemus Job. ix. 15. Jos. vii. 19.

(2) Quoad peccatorem nihil est *salubrius*.
Nam per hanc Confessionem

(a) Ipsum Conversionis opus promovetur, quoniam per illam penitior peccatorum cognitio, propter illa humiliatio profundior, denique major gratiæ diviniæ æstimatio perducitur Luc. xv. 18. 19.

(b) Certa spes remissionis suscitatur Ps. xxxi. 5. Prov. xxviii. 13. 1. Joh. i. 9.

XXXVI. Cum hac Confessione conjunctum est CONFUGIUM AD DEUM IN CHRISTO, per quod *humillime* venia petitur. Sic publicanus: *Deus propitius esto mihi peccatori* Luc. xvi. 13. Confugium autem tam serium & constans requiritur, ut non antea desistatur, quam spes reconciliationis cum Deo affulget.

XXXVII. Ut autem illa affulgeat, accedere debent primi Conversionis sinceræ effectus, qui
appel-

appellantur *fructus conversione digni* Matth. III. 8. Sunt autem hi aut *communes* quibuscunque, qui convertuntur, aut quibusdam *peculiares*, secundum circumstantias specialiores, in quibus versantur.

XXXVIII. Ad primos Conversionis effectus omnibus *communes* referimus:

(1) Quoad *Aversionem a via mala*:

(a) Ut ipsum talium *peccatorum*, quibus magis dediti fuimus, *exercitium* interminatur.

(b) Ut *affectuum malorum intemperiei*, quæ identidem ad illa irritat, *reluctari* incipiamus.

(c) Ut *occasiones* illæ præscindantur, quæ noxiæ esse possunt, quo præcipue spectat *familiaris* cum peccatoribus *conversatio*.

(2) Quoad *Reversionem in viam bonam*:

(a) Ut *media* illa cum studio usurpentur, quæ confirmare animam in proposito, atque ad illud exsequendum idoneam reddere queunt.

(b) Ut *signa* totalis immutationis absque ostentatione, libere tamen, *externe* tam *verbis*, quam *moribus* ad pietatem compositis, exhibeantur.

XXXIX. Sunt tamen & *signa* quædam quemadmodum *non universalia*, ita etiam per se non certa. Inter illa reputamus *LACRYMAS*, quæ sæpe sunt effectus sinceræ *Resipiscentiæ* Luc. vii. 38. Petrum & Davidem eorum non puduit. Ipse Servator præiit, quamvis alienorum tantum peccatorum sensu tactus esset Luc. xix. 41. 42. Hebr. v. 7. Notandum tamen, quod *lacrymæ* sæpe hypocritis facilius fluant, quam sincere *pœnitentibus*. Pretiosissimæ sunt illæ, quæ *in occulto* coram Deo profunduntur. Idem iudicandum

de aliis externis signis, *planctu*, *jejunio*, & similibus.

XL. Requiritur etiam aliquando CONFESSIO CORAM HOMINIBUS, *publica* in scandalis gravioribus; *privata*

(1) Coram illis, quos injuria affecimus Luc. xv 11. 4.

(2) Coram illis, a quibus instructionem & corroboracionem quandam spiritualem expectare possumus Jac. v. 16.

(3) Coram illis, quorum emendationem promovere, illisque Gratia divinae magnitudinem exaggerare quarimus Luc. xxiii. 41. Act. xxvi. 10. 11.

XLI. Non negligenda hic est DAMNUM, quod proximo illatum est, quoad fieri potest, REPARATIO Ezech. xxxiii. 15. Adde exempla 1. Sam. xii. 3. Neh. v. 3. Luc. xix. 8. Reparatio haec non solum concernit damnum, quod bonis *temporalibus*, sed etiam *animabus* ipsis per offendiculum, quod vitiorum sociis est praestitum, intulimus.

XLII. *Necessitatem* talis Conversionis univversa Scriptura tam Prophetica, quam Apostolica commendat, & quidem ita, ut cum illa salutem & cum ejus neglectu perditionem indubitatum connectat. Ex sexcentis locis notamus Jes. i. 16. -- 18. Jerem. xviii. 7--10. Ezech. xvi. 30. 31. Joel. ii. 12. 13. Zach. i. 3. His vestigiis institit Joannes Matth. iii. 2. Christus Marc. i. 15. Apostoli Actor. iii. 19. xxvi. 18. 2. Tim. ii. 25. 26. Haec testimonia tum *exemplis* per totam historiam

am sacram sparsis , tum *rationibus* variis confir-
mantur.

XLIII. Rationes Conversationis necessitatem
a parte Dei demonstrantes sunt

(1) Sanctitas ejus naturalis , per quam nequit
communione habere cum peccatore Psalm. v. 2.
Cor. vi. 14. sq.

(2) *Operum* ejus tenor , non solum in *natura* ,
sed potissimum in *Gratia* , cujus *Finis* , ad quem
etiam omnes *partes* salutis , *electio* , *acquisitio* , *appli-*
catio , constanti nexu tendunt , non est alius ,
quam ut peccator *conversus* ad glorificationem Dei
gradatim idoneus evadat.

(3) Specialissime huc tendit Oeconomia Dei
in N. T. in qua major mensura Spiritus Sancti
majoris moduli in sanctificatione origo est.

XLIV. *A parte* autem *peccatoris* necessitas sum-
ma Conversionis deducitur

(1) Ex officio gratitudinis , ad quod Deo est
obstrictus , quo tamen absque Conversione de-
fungi nequit.

(2) Ex naturali mali fuga , bonique appetitu,
cui convenienter non agit , sed sui ipsius crudelis
hostis ac tyrannus est , qui absque serua Conver-
sione in cultu peccati perseverat.

CAPUT